

<p>Quid est littera?</p> <hr/> <p><i>Custōs histōriae.</i></p> <p>1</p>	<p>Quid est verbum?</p> <hr/> <p><i>Prōdītor animī.</i></p> <p>2</p>	<p>Quis generat verbum?</p> <hr/> <p><i>Lingua</i></p> <p>3</p>	<p>Quid est lingua?</p> <hr/> <p><i>Flagellum āeris.</i></p> <p>4</p>	<p>Quid est āēr?</p> <hr/> <p><i>Custōdia vītae.</i></p> <p>5</p>
<p>Quid est vīta?</p> <hr/> <p><i>Beātōrum laetitia, miserōrum maestitia, expectātiō mortis.</i></p> <p>6</p>	<p>Quō modō positus est homō?</p> <hr/> <p><i>Ut lucerna in ventō.</i></p> <p>7</p>	<p>Quid est somnus?</p> <hr/> <p><i>Mortis imāgō.</i></p> <p>8</p>	<p>Quid est caput?</p> <hr/> <p><i>Culmen corporis.</i></p> <p>9</p>	<p>Quid est corpus?</p> <hr/> <p><i>Domicilium animae.</i></p> <p>10</p>
<p>Quid sunt comae?</p> <hr/> <p><i>Vestēs capitis.</i></p> <p>11</p>	<p>Quid est barba?</p> <hr/> <p><i>Honōs aetātis.</i></p> <p>12</p>	<p>Quid est cerebrum?</p> <hr/> <p><i>Servātor memoriae.</i></p> <p>13</p>	<p>Quid sunt oculī?</p> <hr/> <p><i>Ducēs corporis, vāsa lūminis, animī indicēs.</i></p> <p>14</p>	<p>Quid sunt narēs?</p> <hr/> <p><i>Adductiō odōrum.</i></p> <p>15</p>
<p>Quid sunt aurēs?</p> <hr/> <p><i>Collatōrēs sonōrum.</i></p> <p>16</p>	<p>Quid sunt labia?</p> <hr/> <p><i>Valvae ōris.</i></p> <p>17</p>	<p>Quid est gula?</p> <hr/> <p><i>Dēvorātor cibī.</i></p> <p>18</p>	<p>Quid est pulmō?</p> <hr/> <p><i>Servātor aeris.</i></p> <p>19</p>	<p>Quid sunt manūs?</p> <hr/> <p><i>Operārīi corporis.</i></p> <p>20</p>
<p>Quid est cor?</p> <hr/> <p><i>Receptāculum vītae.</i></p> <p>21</p>	<p>Quid est jecur?</p> <hr/> <p><i>Custōdia calōris.</i></p> <p>22</p>	<p>Quid sunt ossa?</p> <hr/> <p><i>Fortitūdō corporis.</i></p> <p>23</p>	<p>Quid sunt pedēs?</p> <hr/> <p><i>Mōbile fundāmentum.</i></p> <p>24</p>	<p>Quid est quod est et nōn est?</p> <hr/> <p><i>Nihil.</i></p> <p>25</p>
<p>Quō modō potest esse et nōn esse?</p> <hr/> <p><i>Nōmine est, et rē nōn est.</i></p> <p>26</p>	<p>Quid est harēna?</p> <hr/> <p><i>Mūrus terrae.</i></p> <p>27</p>	<p>Quis est herba?</p> <hr/> <p><i>Vestis terrae.</i></p> <p>28</p>	<p>Quid sunt holera?</p> <hr/> <p><i>Amīcī medicōrum, laus coquōrum.</i></p> <p>29</p>	<p>Quid est amīcitia?</p> <hr/> <p><i>Aequālītās animōrum.</i></p> <p>30</p>